

concutitur, musculis Epigastrii excitatis, partus promoveri potest. Eodem modo ad excludendas secundinas nonnunquam facit. Dubio procul eadem ratio valet in reliquis etiam casibus, quibus inter sternutandum ex aliis, præter nares, partibus, res vel ibi genitæ, vel vi infixæ ejiciuntur. Ex his memorabile est, quod de Græco quodam ex *Alex. Bened. l. 4. de curand. morb. c. 4.* refert *Schoockius p. 86.* qui vulneratus circa tempora per sagittam, post annos viginti quinque, concitatis supra modum sternutamentis, magno pruritu inter maximos conatus è naribus sagittæ frustum, digiti medii longitudine, ferreâ acie rejecit. Similia tum historia, tum experientia nonnunquam oculis curiosorum exponit.

§. 47. Filius Sunamitidis, à Prophetâ Elifæo ex mortuis resuscitatus, septies sternutavit, *2. Reg. IV. 25.* Vulgata exposuit per *oscitavit.* Lutherus per *schnieben.* Hebræis tamen *ררר* est, sternutavit. Hinc *Vallesii* sententia, qui *Sacr. Philos. c. 35.* filium non ex mortuis resuscitatum, sed syncope correptum, sanatumque; ex naturalium commotione inter alia deduci posse indicat, in doctrina de sternutatione rectè ventilatur à *Schoock. p. 79.* Nam etsi *Vallesius*, Vulgatam secutus, de Oscitatione loquitur, eam tamen per agitationem flatûs ac discussionem describit, quæ potius sternutatio quam oscitatio est; præsertim cum de illa Textum accipiant Hebræi. Haut tamen opus habet magnâ refutatione hic error, potius impietas, *Vallesii*, miraculû elevantis contra Spiritûs S. testimonium clarissimum, d. l. vers. 20. & 32. Imò *Vallesii* liber juxta indicem Expurgatorium reformatus, & *Lugduni* anno hujus seculi LII. impressus, coactus est in omnia alia abire, p. 195. 196.

§. 48. Ex hæc causarum cognitione instar effectûs sequitur Definitio sternutationis, sic concipienda: Est motus naturalis excretivus tunicæ narium interioris ab intra vel extra concitatus, ad declinandam tunicæ, quâ afficitur, molestiam.

*Definitio.*

§. 49. Atque sic de essentiâ sternutationis sufficienter constat. Varia autem ejus sunt accidentia, à quibus pendent ejusdem divisiones.

§. 50. Nescio verò, an iniquè etiam ad hæc referam salutationem, quâ ad imitationem veterum sternutantes hodiernum excipiuntur.